

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

1104

1102

1108

1098

1113

1093

1053

1003

0603

0103

Ende

Anfang

531

ad aliam mari mirabiliter stante ab utraque parte erecto.
Non enim latum est in eo loco, sed habet forte unum miliare
theutonicum usque in aliam partem Phyariroth, profundissimum
tamen est et inquietum. Dicit Orosius, quod in parte opposita
nobis, Phyariroth, ubi Moses virga mare percussit et eo remoto
filii Israel ingressi sunt et Pharao cum curribus et equitibus secutus,
ibi exstabant adhuc certissima monumenta gestorum, nam tractus
curruum et orbitae rotarum non solum in littore, sed etiam
in profundo, quoisque visus admittitur, pervidetur et videntur
in fundo maris foveae profundissimae, in quas Aegyptii des-
cenderunt quasi plumbum. Ex quo facto superstites Aegyptii
non solum Deum non cognoverunt, sed causam inde idolola-
trandi sumserunt, quia dicit Apollonius, ut habetur in vitis
patrum, quod Aegyptii, qui cum Pharaone non fuerunt, unus-
quisque illud, in quo occupabatur in hora submersionis cae-
terorum, hoc sibi deum esse putabat eique latriam exhibebat,
dicens: hoc olus, hoc lignum, hic panis, haec bestia etc.
hodie deus meus fuit, qui custodivit me a submersione (b)
cum Pharaone. Et ita super omnes mundi terras fuerunt idola
in terra Aegypti multiplicata. In parte vero nostra, ubi bal-
neabamur, fuerunt ejecta Aegyptiorum cadavera, a quibus
ibi filii Israel detrahebant spolia. Invenimus autem in maris
littoribus monstruosas testas et ostreas diversorum colorum et
formarum, et album corallum in copia, sed rubeum, quamvis
in eo crescat, ibi non vidimus. Dicunt tamen aliqui, quod
corallum semper sit album in mari crescens et molle, sed
extraictum et exsiccatum rubei coloris efficitur, sicut patet de
corallo maris Siculi.

Hoc mare rubrum mare vocatum est eo, quod sit roseis
undis infectum, non tamen talem naturam habet, qualem vi-
detur ostendere, sed vicinis littoribus vitiatur gurges atque
inficitur, quia omnis terra, quae circumstat pelago, rubra est
et sanguineo colore permixta. Ergo cum terra hanc habeat
naturam, fluctibus subinde diluitur et quidquid adhaesum est,
in colorem cadit. Ab hoc etiam in his littoribus gemmae
rubrae inveniuntur et testae ostrearum rubrae et lignum
rubrum in insulis ejus crescit, bresilium. Gustavimus etiam
aquas illas et comparationem salsedinis ejus ad salsedinem

34 *